

habilitate subeunda erunt in mutuo recuperando. Et hæc usuræ sunt licitæ; quia id, quod datur ultra sortem principalem, non datur præcise ratione mutui, sed ex alio justo titulo, ac per modum cuiusdam interesse, ut amplius infra indicabimus § 4, agendo de titulis excusantibus ab usura illicita. Usuræ punitoriæ sunt, in quibus pactum fit de subeunda pœna, v. g. pecuniaria ultra sortem præstanda, et mutuarius in mora fuerit non reddendo mutuum tempore statuto. Usura lucrativa dicitur, quæ continet aliquod lucrum temporale, causa et nomine solius mutui principaliter exactum. Et de hisce lucrativis, tanquam propriis usuris ex professo hic loquimur, simulque de eisdem intelligendi sunt quando absoluto loquuntur de usuris doctores.

12. *De compensatoriis, et punitoriis. Remissive.* — De compensatoriis seu restauratoriis autem, et punitoriis seu moratoriis usuris utpote plerumque licitis, adeoque minus propriis, speciales §§ instituimus infra, postquam de lucrativis seu propriis sufficienter egerimus.

## § II.

## DE PROHIBITIONE, ET MALITIA USURÆ PROPRIÆ DICTE SEU LUCRATIVE.

13. *Usuræ sunt prohibitæ jure ecclesiastico.* — Quæritur I. An et quo jure usuræ, seu lucrum ex mutuo immediate proveniens, sint prohibitæ? Resp. Certum est, usuras non tantum jure humano ecclesiastico, sed etiam divino prohibitas esse. Ita communis Catholicorum doctorum, contra Carolum Molinæum, *Tract. de Commercio*, 7 et 11, moderatas usuras tanquam licitas admittentem. Et quidem prima pars de jure ecclesiastico passim constat ex sacris canonibus, ut can. *Quoniam*, 2, dist. 37, can. *Apost.* 43. Concil. Nicæn., cap. XVIII. Item ex cunctis decretis, constitutionibus, rescriptis Pontificiis, tam quinti, quam sexti decretalium, et clementinarum, h. t. Ubi non solum usuræ sub gravissimis pœnis infra enumerandis prohibentur, sed etiam c. *Super eo*, h. t. expresse dicitur, quod usurarum crimen utriusque Testamenti pagina detestetur. Quin imo pertinaciter assensens, exercere usuras non esse peccatum, veluti hæreticus puniendus est, ut habetur in Clem. un. *de Usuris*, ibi: Si quis in illum errorem incidit, ut perti-

naciter affirmare præsumat, exercere usuram non esse peccatum, decernimus eum ut hæreticum puniendum.

14. *Usuræ sunt prohibitæ jure divino.* — Altera vero pars de jure divino clare desumitur e S. Scriptura. Nam Levitici, cap. XXV, dicitur: Ne accipias usuras ab eo, neque amplius quam dedisti. Et infra: Pecuniam tuam non dabis ei ad usuram. Item Psalm. XIV, laudatur, qui pecuniam suam non dedit ad usuram. Similiter Ezech., cap. XVIII, dicitur inter alia, quæ ad virum justum requiruntur: Si usuram et superabundantiam non acceperit. E contra vero ibidem numerat Propheta inter peccatores, ad usuram dantem, et amplius accipientem. Item ibid. Quod si genuerit filium ad usuram dantem, et amplius accipientem, numquid vivet; non vivet; et Psalm. LIV: Vidi iniquitatem in civitate; non defecit in plateis ejus usura, et dolus. Tandem ut plures similes auctoritates omittantur, ipsemet Christus Dominus Luc. VI, ait: Bene facite, et mutuum date; nihil inde sperantes. Quæ verba licet quoad primam partem contineant consilium, quoad posteriorem vero continent præceptum, atque excludunt etiam usuram mentalem, prout patet ex aliis sacre Scripturæ locis; ubi similis textus habetur, v. g. Psal. LXXV, ibi: Vovete, et reddite Domino Deo vestro; ubi prima pars consilium; secunda vero præceptum continet.

15. *Solvitur instantia.* — Nec obstat parabola a Christo Domino adducta Luc. IX, ubi servo nequam recondenti pecuniam in sudario suo exprobravit paterfamilias, quod eam non dederit nummulariis, hæc addita ratione: Et ego veniens cum usuris exegissem eam, id est, pecuniam mutuam. Resp. enim D. Thomas 2, 2, q. 78, art. 1. Usuram ibi sumi metaphorice seu parabolice pro augmento et super excrecentia bonorum spiritualium, seu bona applicatione talentorum nobis a Deo concessorum. Vel dic, illud in parabolis esse a Christo Domino propositum: et sicut alibi per parabolam villici iniquitatis, et fraudantis dominum suum, Luc. XVI. Christus nos excitavit, ut faceremus nobis amicos in cœlis de mammona iniquitatis, nequiquam tamen permisit fraudes; ita et hic ex facto hominum mundanorum nos commonefecit ad procreandas nobis spirituales usuras, semper in nobis proficiendo, non tamen idcirco usuras mundanas approbavit (ADNOTATIO XXXI.)

16. *Sunt etiam prohibitæ jure naturali.* — Quæritur II. An usuræ sint etiam jure naturali illicitæ ac prohibitæ? Resp. Affirmative; idque tenent doctores communiter. Siquidem Patres, concilia, ac Summi Pontifices passim probant de Veteri Testamento usuras esse illicitas, atque hæc probatio non subsisteret, nisi usuræ jure naturali essent illicitæ, cum præcepta cæremonialia, et judicialia veteris legis non amplius obligent post Christi mortem, sed moralia tantum, quæ ad Decalogum spectant, et jure naturali obligant. Hinc neque Papa potest dispensare in usuris, ut dicitur c. *Super eo*, h. t. ibi: Cum usurarum crimen utriusque Testamenti pagina detestetur, super hoc dispensationem aliquam posse fieri non videmus, quia cum Scriptura sacra prohibeat pro alterius vita mentiri; multo magis pronibendus est quis, ne etiam pro redimenda vita captivi, usurarum crimine involvatur. Nota ly multo magis; ergo non minus ac mendacium usura est jure naturali prohibita.

17. *Probatum ratione.* — Ratio etiam hujus est, quam affert doctor subtilis, 4, dist. 15, q. un., § *De secundo articulo*, §. *De ultimo contractu*, etc. Quia dum exigitur usura seu lucrum ex mutuo, vel exigitur lucrum pro ipsa sorte principali, vel pro usu ejus, sed neutrum absque injustitia fieri potest; ergo; min. probatur. Nam imprimis non potest exigi lucrum ex mutuo pro ipsa sorte, quia justitia commutativa desiderat æqualitatem in contractibus, neque permittit, ut idem bis vel sæpius teneatur quis restituere: atqui si hodie 100 floreni mutuo accipiuntur, et post annum centum restituantur, habetur dicta æqualitas; ergo justitiæ repugnat, quod teneatur quis restituere aliquid ultra centum aut succedentibus temporibus bis centum et amplius.

18. *Solvitur instantia.* — Neque potest dici, quod in mutuo pro usu sortis, v. g. pecuniæ mutuatæ possit exigi lucrum; quia usus seu utilitas rei pertinet ad dominum; atqui mutuarius vi mutui factus est dominus rei mutuatæ (mutuum enim ideo appellatur, quod de meo tuum fit, ut habetur l. 2, ff. *Si certum petatur*) ergo contrariatur justitiæ, quod mutuarius teneatur mutuanti quidolvere pro usu, rei mutuatæ utpote ad se jam spectantis, et non amplius ad mutuantem. Uno verbo, exigens usuras, vel petit eandem rem sibi sæpius restitui, vel exigit aliud pro eo, quod non est suum: horum autem quod-

libet continet manifestam injustitiam, et repugnat juri naturali; ergo.

19. Confirmatur. Pecunia, frumentum, vinum, et aliæ hujusmodi res, in quibus mutuum consistit, sunt in se ipsis steriles ac infrugiferæ; ergo injustum est, pro earum usu, seu fructu aliquid exigere. Ant. probatur. Res frugifera dicitur, ex qua permanente usus vel fructus seu commoditas percipi, atque ab ea separari potest, veluti inhabitatio ex domo, fructus ex agro, lac ac vitulos ex vacca. Atqui hoc non fit in pecunia, frumento, vino, ac similibus rebus fungibilibus, seu quæ ipso usu consumuntur, ut patet et habetur etiam l. *Ad senatusconsultum*, ff. *de usufructu earum rerum, quæ usu absumuntur*; ergo. Hinc etiam Aristoteles lumine naturali edoctus lib. I, *Politici*, c. VII, ait: Maxime præter naturam esse hunc acquirendi modum, ut in tenore nummus nummum pariat.

20. Ex proxime dictis patet etiam ratio, cur in locatione possit exigi lucrum, non vero in mutuo. Disparitas enim maxima est, quia imprimis locatio est talium rerum, in quibus usus rei non est ipsamet absumptio rei, sed quæ permanentem usum atque utilitatem afferunt; ut patet in locatione domus, agri, equi ad equitandum, et hujusmodi. Secus fit in mutuo, quod non nisi in rebus fungibilibus, seu usu consumptibilibus consistit, v. g. in pecunia, vino, frumento, et similibus; et cum horum usus (intellige de usu juris, non de simplici usu facti) separari nequeat a re ipsa, ejusque dominio, non nisi injuste aliud pretium exigeretur pro re ipsa ejusque dominio, aliud pro usu ipsius.

21. Demde in contractu locationis manet locator adhuc dominus rei locatæ, ejusque relinet dominium, l. *Non solet*, ff. *locati*, et consequenter utilitas rei locatæ etiam ipsum respicere debet, secus est in mutuo, ubi ex meo tuum fit, et mutuans non amplius retinet dominium rei mutuatæ. Unde patet, quod mutuum ex natura sua postulet fieri gratis, id est, non plus petendo vi mutui, ac datum est, prout amplius declarabimus infra § 4, et seqq.

22. *Proponitur et solvitur objectio ex Scriptura.* — Objicies autem primo, contra hæc tenus dicta. Deus concessit olim Judæis usuras, Deuter., XXIII, dicens: Non sceneraberis fratri tuo ad usuram, sed alieno; ergo usuræ non sunt intrinsece malæ, neque prohibitæ jure naturali, cum in hoc nequeat

Deus dispensare, ut patet in mendacio. Resp. Doctores dupliciter. El primo quidem dicunt cum D. Thoma 2, 2, q. 78, art. 1. Judæis non fuisse ibi concessum exercere usuras erga alienigenas tanquam licitum, sed duntaxat permissum tanquam minus malum, et ad evitandum majus malum; ne scilicet a suis fratribus indigentibus usuras extorquerent, cum fuerint multum avaritiæ dediti.

23. Nec obstat, quod usurarum exactio videatur Judæis Deum colentibus permitti in præmium. Deuter., XXVIII, Fœnerabis gentibus multis, et ipse a nullo fœnus accipies. Resp. enim citatus D. Angelicus, ibidem fœnus large accipi pro mutuo: promittitur enim Judæis in præmium abundantia divitiarum, ex qua contingit, quod aliis mutuari possint.

24. Secundo, et ut arbitror melius, respondent alii, Judæis fuisse licitum exercere usuras erga alienigenas utpote hostes suos, et eo modo, quo eis concessum fuit Exodi XII, Ut Ægyptios spoliarent vasis aureis et argenteis, ac vestibis pretiosis sibi commodatis: quatenus nempe Deus, qui est universorum Dominus, dedit Judæis dominium in bona Ægyptiorum injuste se gravantium, atque in alia bona alienigenarum utpote hostium suorum, quos proinde juste poterant spoliare rebus suis per usuras ratione mutui dati, cum res illæ jam fuerint suæ ratione dominii sibi a Deo concessi. Unde sicut Judæi spoliando Ægyptum revera non commiserunt furtum, ita neque perpetrarunt usuram accipiendo fœnus pro mutuo ab alienigenis. Concordat textus can. *Ab illo*, 10, quæst. 4, ubi D. Ambrosius refertur dicens: Ab hoc usuram exige quem non sit crimen occidere: sine ferro dimicat, qui usuram flagitat. Ergo ubi jus belli, ibi etiam jus usuræ.

25. *Nemo censetur omnino libere solvere usuras.* — Objicies secundo: Usuras exercens nemini infert injuriam, aut dolum; ergo nullam committit injustitiam. Ant. patet; quia usuræ, seu lucrum usurarum a mutuuario volenti, et libere consentiente promittuntur, ac solvuntur; scienti autem non fit injuria, neque dolus, c. *Scient.*, 27, *de Reg. jur.*, in 6, cum Concordantiis. Resp. regando. Ant. Ad probationem dico, mutuatarium non omnino libere, sed invitum, et quodammodo coactum solvere, eo quod mutuum, quo necessario indiget, obtinere

non valeat, nisi usuras nullo titulo debitas solvat; qui alias suum sponte et libere jactare non præsumitur, l. *Cum de indebito*, ff. *de Probat.*

26. *Usuræ usurarum prohibita sunt jure divino, et humano ecclesiastico.* — Quæritur III. De usuris usurarum in specie an, et qualiter sint prohibita? Quid sint usuræ usurarum? notum suppone ex dictis supra num. 10. Quo supposito, Resp. I. Usuræ usurarum lucratoriæ non solum jure divino naturali, et ecclesiastico, sed etiam civili sunt prohibita. Prima pars de jure divino naturali, et ecclesiastico patet ex dictis supra a nu. 13. Cum enim præfato jure simplex usura lucratoria sit prohibita, multo magis prohibita erunt usuræ usurarum lucratoriæ, utpote duplicem iniquitatem, usurariam de sorte scilicet, et de usura importantes, prohibita erunt.

27. *Ac etiam civili.* — Altera pars de jure civili tenetur etiam ab omnibus, et clarissime patet ex diversi juris textibus, ut l. *Placuit*, 20, ff. h. t. l. *Improbium* 20. C. *Ex quibus causis infamia irrogetur*, ibi: Improbium fœnus exercentibus, et usuras usurarum illicite exigentibus infamiæ macula irroganda est. Item l. *Ut nullo modo*, 28. C. h. t. ibi: ut nullo modo usuræ usurarum a debitoribus exigantur, et veteribus quidem legibus constitutum fuerat, sed non perfectissime cautum, etc. Quapropter hac apertissima lege definimus, nullo modo licere cuicumque usuras præteriti temporis vel futuri, in sortem redigere, et eas iterum usuras stipulari, sed etsi hoc fuerit subsecutum, usuras semper usuras manere, et nullum usurarum aliarum incrementum sentire; sorti autem antiquæ tantummodo incrementum usurarum accedere.

28. *Ita ut nondum solutæ nulla stipulatione licita aut debita fieri valeant, ac vi stipulationis solutæ repeti rursus possint.* — Resp. II. Usuræ usurarum lucratoriæ necdum solutæ, omni etiam civili jure adeo sunt prohibita, ut neque per specialem stipulationem, et credendi modum in sortem seu summam capitalem redigi, et de iis novæ usuræ, sicque usuræ usurarum exigere possint, v. g. nec licita, nec valida est stipulatio, vel credendi modus sequens (qui dicitur anatocismus) quo creditor dicit: usuram 50 florenorum, quam de mille florenis creditis debitam hoc anno non solvistis, tibi etiam mutuo dabo vel relinquam, ita tamen

ut in sortem redigatur, et de illa quoque proportionata annualim reddatur usura, videlicet duo floreni cum dimidio, etiamsi debitor annuat, et promittat; vel ipsemet talem stipulationem cum creditore inchoet, et perficiat: unde etsi talem stipulationem debitor faciat, tamen ad solvendas usuras usurarum non tenetur; et, si eas solvit conditione indebiti, iterum repetere potest, uti contra Mævium, p. IV. Decisione 213, recte tenet Brunneman, in l. fin. C. *de Usuris*, num. 2; Roderic., *de Reddit. ann.*, lib. III, cap. VII, num. 27 et alii, idque probant per textum satis clarum, l. *Si non sortem*, 26, ff. *de conditione indebiti*, § 1, ibi: Usurarum usuræ nec in stipulatum deduci nec exigere possunt, et solutæ repetuntur, quemadmodum futurarum usurarum usuræ. Item per jura supra num. 27 citata, præsertim vero per textum, l. *Ut nullo modo*, 28. C. h. t., ibidem allegatum, ut legenti patet, omnes ingeniosæ avaritiæ, et ambages stipulantium et exigentium usuræ usurarum manifestæ sublatæ sunt.

29. *Si sunt lucratoriæ: imo etiam compensatoriæ de jure civili non item divino.* — Dicitur autem notanter in utraque conclusione, usurarum usuræ lucratoriæ: quia usuræ usurarum compensatoriæ, seu restauratoriæ ob lucrum cessans, vel damnum emergens, etc., juri divino naturali adversari non videntur, juxta dicenda infra § 4; bene tamen juri civili, cum leges ad usuras usurarum penitus delendas prorsus nullum casum exigendi usuras usurarum admittant, per leges et textus supra num. 27, citatos, et l. *Sancimus*, 3, C. *de usuri rei judicati* ibi: Cum enim jam constituimus, usuras usurarum penitus delendas, nullum casum relinquimus, ex quo hujusmodi machinatio possit induci.

30. *Postquam usuræ jam sunt solutæ de jure civili denuo dari mutuo per modum sortis pro nova usura non prohibentur.* — Dicitur ulterius in conclusione num. 28, posita usuræ lucratoriæ necdum solutæ; quia postquam mutuatarius usuras pro sorte pactas, v. g. 50 pro 1000 florenis tanquam sortem, seu summam capitalem novam eidem debitori denuo mutuos dare, et ab eis tanquam a sorte usuras exigere de jure civili non prohibetur. Ratio est, quia in tali casu usuræ jam solutæ, et rursus mutuo datæ exiunt naturam usuræ, et inducunt veram naturam

sortis principalis, etsi eidem mutuo dentur; cum non appareat, cur hujusmodi usuræ jam solutæ alteri tanquam sors principalis mutuo dari non possint, et non eidem, qui eas prius solvit.

31. *Bene vero de jure divino et ecclesiastico, si sunt lucratoriæ.* — Verum quamvis hujusmodi usuras jam solutas, eidem tanquam sortem principalem denuo mutuo dare, et ab eis usuram exigere non prohibeatur de jure civili, prohibetur tamen jure divino, et ecclesiastico, si sunt lucratoriæ, per dicta supra a n. 13. Secus si sunt compensatoriæ, aut punitoriæ.

32. *Objicitur et solvitur objectio.* — Sed objicies contra conclusionem num. 28, positam: juxta dicta est licitum de jure civili usuras jam solutas eidem tanquam sortem principalem denuo dare mutuo, et ab ea usuras exigere; ergo licebit etiam easdem usuras jam debitas, et nondum solutas debitori relinquere, ac tanquam novam sortem brevi manu, ut vocant, credere, seu mutuo dare, atque usuras novas inde exigere: cum non appareat, cur prius et non etiam istud posterius liceat. Resp. concesso. Ant. negando consequentiam, et paritatem; quia tam ex parte creditoris, quam debitoris magnum discrimen est inter hos duos casus; cum creditor pecuniam nondum visam longe facilius mutuo det, seu potius relinquat pro novis usuras usurarum promittere, quam usuras simplices actu solvere. Ob quam causam debitores usuris facile opprimerentur, ut bene observat Brunneman in l. fin. C. h. t. num. 2 et alii.

33. Objicies secundo. Quando quis ad solvendas certas usuras condemnatus, præfixo tempore illas non solvit, potest creditor de jure ab illo tempore de hujusmodi usuris, quasi in sortem redactis novas usuras exigere, prout teste Fagnano *de Erroribus pragmat. Decad.* 20. *Error* 1, passim volunt pragmatici; ergo possunt etiam usuræ nondum solutæ debitori rursus credi, et ab eis in sortem redactis usura exigi. Resp. negando antecedens; quia etsi aliquis tam ad usuras, quam ad sortem principalem certo tempore condemnatur, tamen elapso de usuris nondum solutis novas usuras solvere de jure civili adigitur, prout clare sancitum habetur, l. *Sancimus* 3, princ. C. *de usuris rei judicate*, ibi *Sancimus*, si quis condemnatus fuerit post datas a nolis quadrimestres in-

ducias, centesimas quidem usuras secundum naturam iudicati eum compelli solvere, sed tantummodo sortis, et non usurarum, quæ ex pristino contractu in condemnationem deductæ sunt. Cum enim jam constituimus usurarum usuras penitus esse delendas, nullum casum relinquimus, ex quo hujusmodi machinatio posset induci.

## § III.

AN, ET QUOMODO DE JURE CIVILI, VEL AUCTORITATE PRINCIPIS, VEL STATUTO, AUT CONSUETUDINE USURÆ PROPRIE TALES, SEU LUCRATORIÆ DE FACTO SINT, AUT FIERI POSSINT LICITÆ? UBI ETIAM IN SPECIE DE CONSUETUDINE GERMANIÆ, DANDI ET EXIGENDI QUINQUE PRO CENTUM, NULLO ATTENTO, VEL DESIDERATO TITULO.

34. *In hoc paragrapho non est quæstio de usuris usurarum, sed simplicibus.* — Notandum prius, hic tantum esse sermonem de usuris lucrativis simplicibus, non vero de usuris usurarum, quia has etiam jure civili penitus esse prohibitas, jam satis ostendimus § præcedent. a n. 23. H. N.

35. *Usuræ proprie tales an sint prohibitæ jure civili, variæ sunt doctorum sententiæ.* — Quæritur I. An usuræ proprie tales, seu lucrativæ de facto permissæ, et licitæ censeantur de jure civili. Ratio dubitandi, et affirmativam tenendi desumitur imprimis ex l. *Placuit*, ff. de *Usuris*, ibi: « Placuit, licitas usuras posse peti. » Concordat l. *Eos qui*, c. eod. ubi juxta diversitatem personarum variæ stipulari dicuntur usuræ centesimæ quidem in pecunia trajectitia, id est, ea, quæ trans mare trajectitur periculo mutantis: bessales mercatoribus, trientes personis illustribus: cæteris vero personis semesses. Omitto alios textus passim occurrentes in jure civili per integros titulos de usuris et de fenore nautico.

36. *Sententiæ affirmativa proponitur.* — Ante responsionem nota, de mente juris civilis varias esse doctorum sententiæ. Et quidem imprimis Glossa in Auth. *Ad hæc*, c. de *Usuris*, §. *Cadat*, post Joannem, et Azonem censet, quod quamvis de jure civili antiquo (propter textus proxime relatos) secus fuerit, tamen jure novo non solum in aliquibus, sed ex toto tollantur usuræ. Probat hoc ex Auth. *de Ecclesiasticis titulis*, § 1, ubi Justinianus imperator decrevit, servan- pas esse regulas sanctorum quatuor conciliorum easque vicem legum obtinere: atqui usuræ fuerunt prohibitæ in concilio Nicæno, ut refertur c. *Quoniam*, dist. 47. Et ideo, cum authentica illa fuerit de suis ultimis, videtur Justinianum jam quasi pœnituisse, quod alibi permiserat; nam posteriora prioribus derogant. Ita discurrit allegat Glossa.

37. *Sententiæ affirmativa impugnatur.* — Sed contra hanc opinionem Glossa urget primo; quia in locis n. 35 citatis expresse Julianus admittit usuras; ergo non sufficit, quod videatur easdem in citata authentica tacite revocare: siquidem argumentum, a tacito non procedit, quando contrarium est expressum; prævalet enim tunc expressum contrario tacito, ut notat Covarruvias, l. 3, *Varias resolut.* cap. 1, n. 6, apud P. Wag- nereck, *ad Rubricam*, h. t. circa finem. Accedit, quod idem Justinianus rursus in Auth. *de Usuris nauticis* (quæ tamen est posterior cit. Auth. *de Ecclesiasticis titulis*) permittat usuras nauticas, atque in his anti- quas leges perpetuo observari velit.

38. *Alii volunt per leges civiles tantum tolerari, non item approbari usuram.* — Alii volunt, jure civili esse quidem usuras permis- sas, in quantum eas non punit ad evitanda majora mala vel peccata, non tamen hoc jure eas esse approbatas tanquam licitas. Sicut in simili (inquiunt) lupanaria alicubi permittuntur, seu tolerantur tanquam minus malum ad evitanda majora, quæ causaban- tur per adulteria, sodomiam, et hujusmodi, non tamen approbantur tanquam licita.

39. *Impugnatur hæc doctrina.* — Sed contra hanc sententiam, pro qua nonnullos doctores tacito nomine citat Pirh. h. t. n. 40, forfiter urget; quia ad usuras exigendas jure civili conceditur actio, dummodo per stipulationem earum promissio facta probe- tur, ut habetur l. 1, c. de *Usuris*, et alibi: ergo non potest dici, quod tolerantur solum.

40. *Alii docent, jure civili tantum permitti usuras compensatorias, non vero lucratorias.* — Alii videntur velle, quod a jure civili solum permittantur usuræ compensatoriæ (id est moderatæ ratione lucri cessantis, aut damni emergentis, aut alterius justi tituli) non autem usuræ lucratoriæ. Hinc Lessius, iib. I, cap. xxxii, ait: Quod ad juris consul- tos attinet, puto eos facile intellexisse usu- ras formaliter esse illicitas, tamen conces- sisse quasdam moderatas, tum ob bonum commune, tum quia sæpe aliqui justi tituli interveniunt, de quibus plura inferius.

41. *Etiam hæc doctrina refutatur.* — Sed contra urget, quia hæc responsio vix potest quadrare legibus juris civilis, usuram cen- tesimam accipiamus in sensu Glossæ, et Fa- gnani, n. 9, declarato. Nam cum juxta l. *Eos qui*, c. de *Usuris*, communibus homini- bus permittatur stipulari usuras semisses (ut alios hominum status ibidem expressos taceamus) quis credat homines vulgares solvere per annum sua pecunia lucrari quin- quaginta pro centum?

42. *Juxta alios, leges civiles permittentes usuram fundantur in præsumptione justi tituli.* — Aliud dici potest de illis legibus, quibus per modum interesse permittuntur quinque tantum pro centum; idque ex præsump- tione lucri cessantis, aut damni emergentis, prout anno 1600, sub Rudolpho II fuisse permissum, inter alios ostendit Engel, h. t. n. 10. Siquidem quilibet facile potest annua- tim ex centum lucrari quinque, si pecuniam emendis prædiis, vel alteri honesto negotio applicet. Verumtamen, licet quilibet juxta dictam moderationem exigens usuras in foro externo, et quantum ad incurrendas pœnas ejus non censeatur usurarius, nihilo- minus cur, et sub quibus tantum conditio- nibus illud sit licitum in foro conscientiæ et coram Deo, ubi non ex præsumptione, sed ex veritate proceditur? dicetur infra. Quare dimissis aliorum opinionibus.

43. *Certum est, quod si usuræ per leges ci- viles sint permissæ, uti videtur, per canones fuerint correctæ.* — Resp. Quamvis spec- tando genuinum diversarum legum sensum usuræ lucrativæ videantur non solum tole- ratæ, sed etiam positive permissæ, et quasi approbatæ per leges supra allegatas, uti et per alias passim ff. et c. h. t. contentas; tamen vigore dicti juris civilis usuræ pro- prie tales de facto in nullo foro sunt licitæ ex eo, quod jus civile quoad usuras ab ipso permissas sit correctum per jus canonicum. Siquidem usuras esse illicitas, habetur tum ex pluribus canonibus cau. 14, q. 3 et 4 re- latis, atque ex textibus hoc titulo passim occurrentibus: Tum præsertim ex Clem. un. h. t. ubi, sub pœna excommunicationis reprobantur quæcunque statuta, in offensam Dei, et proximi et contra jura divina pariter et humana usurarum approbantia quodam- modo pravitate. Quinimo subditur ibidem, quod pertinaciter asserens, exercere usu- ras, non esse peccatum, sit puniendus ut hæreticus, juxta dicta n. 43. Patet autem,

ut amplius diximus in præmio § 12, n. 17, quod in iis, quæ agunt de evitanda peccato, seu concernunt salutem animarum, jus ca- nonicum sit observandum in omni foro. Et hæc sententiæ dicens, usuras a jure civili olim positive fuisse permissas, est commu- nior inter doctores. Quod autem casu, quo fuerint permissæ, a jure canonico fuerint correctæ, consequenter pro nullo foro am- plius valeant, est communissima, ac videtur certa, per jura allegata.

44. *Utrum auctoritate supremi principis per novam legem licitæ fieri possint usuræ? propo- nitur ratio dubitandi.* — Quæritur II. Utrum auctoritate supremi legislatoris civilis per novam legem universalem, vel auctoritate alterius principis per statutum locale in suo territorio possint usuræ reddi licitæ? Ratio dubitandi est quia imperator, aut alius prin- ceptus supremus potest per commune statu- tum, legem, aut etiam rescriptum, ex causa justa et publica auferre jus alicujus privati, ac illud transferre in tertium; ergo id etiam poterit fieri per legem communem de con- cessione moderatarum usurarum ratione mutui statutam, transferendo sic bona unius in alium. Ant. patet, quia sic fit in lege communiter lata de præscriptione, utpote per quam certo tempore transfertur domi- nium rerum legitime præscriptarum ab uno ad alterum: quæ lex etiam habet locum pro foro conscientiæ, estque recepta a jure canonico tit. de *Præscriptione*.

45. *Proponitur ratio affirmandi.* — Con- sequentia vero probatur, quia justa causa auferendi jus alicujus privati est favor pu- blicus, arg. l. *Lucius*, ff. de *Evictionibus*; atque ex communi docet Fagnanus, in c. *Quæ in ecclesiarum de Constitut.* n. 419, plu- ribus id probans; atqui ille favor publicus habetur etiam in moderatis usuris, hoc ipso, quod dare et accipere mutuum summe sit necessarium pro bono communi; quod mutuum tamen plerumque etiam in casu magnæ necessitatis proximi non obtinere- tur, nisi promitterentur, et darentur usuræ; ut patet experientia: ergo. Quibus non obstantibus.

46. *Supremus legislator potest condere le- gem, ne excedatur in usuris, nullo autem modo potest eas facere licitas.* — Resp. I. Quamvis a potestate sæculari fieri possit, et facta va- leat lex statuens pro vitando majori malo certum modum usuris; non quod inde usuræ licitæ reddantur, sed ne usurarii sub aliquo